

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De Ei, inscripto foribus templi Delphici commentario

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

lantur) Paulo tamen pōst ingressi sustulerunt eam mente captam, ac superuixit paucos dies. Eam ob rem Pythias necesse est vt corpus & à viris intactum, & ab omni alieno commercio purum conferuet. & signa ante oraculum exigunt, existimantes deo notum esse quando ea commodè affecta atq; temperata sustinere instinctum diuinum possit. Neq; enim omnes, neque eosdem eodem semper modo vis Spiritus afficit: sed fomitis instar initium (sicuti diximus) præbet ijs, qui ita comparati sunt, vt eōmodè affici ac mutari possint. Est autem vis ea diuina quidem, nō tamen quæ deficere nunquam aut senectute elanguescere, sed durare per infinitum tempus possit. quo sanè omnia debilitantur, quæ inter Lunam sunt & terram. vt quidem nostra doctrina perhibet. Sunt enim qui superiora etiam non perdurare putent, sed cū æternitatem atq; infinitatem assequi nō possint, celeribus vti mutationibus ac renouationibus ortuum. Hæc, inquam ego, sæpenumero perpendere & vos iubeo, & meipsum, cū multis videantur exposita reprehensionibus, & in contrariam sententiam suspiciones præbeant: quas omnes persequi disputando tempestiuum in præsentia non est. Ergo & hæc in aliud reijciamus tempus, & quæ Philip-
pus de Sole & Apollinæ dubia explicanda habet.

PLVTARCHI DE EI, INSCRIPTO FORI-
bus templi Delphici, commentatio.

*Pauper di-
uiti do-
nans.*

INCIDI nuper, mi Sarapio, in versiculos quosdam nequaquam inelegantes: quibus Dicæarchus existimat Archelaum fuisse ab Euripide compellatum:

Nolo tibi dare dona pauper diuiti:

Desipere ne putes me, sed dando petere.

Nullam enim gratiam inquit, qui de exiguis opibus paruum aliquid multa possidenti dat: & cū fidem non facit se gratis dare, in maliciæ simul ac illiberalitatis venit suspiciōe. At enim, quando liberalitate ac pulchritudine munera pecuniaria donis doctrinæ & sapientiæ multo sunt inferiora: honestum est cū dare hæc, tum ab ijs quibus datur similia reposcere. Itaq; ego ad te, & propter te ad amicos isthic degentes Pythicis de rebus quosdam commentarios mittens, fateor alios me à vobis, & plures, & meliores expectare.
quippe

- quippe cū & magna vos in vrbe versemini, & ocio inter multos libros atque omnis generis disputationes fruamini. Enimuerò Apollo noster, vt apparet, cū difficultates vitæ incidentes subleuet atque dissoluat edendis oraculorum responsis, eas quæ circa doctrinam sunt, relinquit & proponit excutiendas ei animi facultati quæ studio sapientiam sectatur, appetitum ingenerans qui ad veritatem ducis loco sit. Id cū alijs multis rebus manifestū sit, tum inscriptionis Ei dedicatione. Consentaneum enim est eam
- 10 litteram non forte fortuna, neque forte inter litteras comparato solam à Deo principe in sede collocatam, ac donarij sacri & spectaculi conditione ornata[m] fuisse. sed eos, qui primi de hoc deo philosophati sunt, aut Ei huius vim quandam peculiarem & insignem perspexisse, aut hac nota & tef-
- 15 sera seriatim alicuius rei vti voluisse. Qua de re quæstionem cū sæpenumerò in schola propositam sensim declinando euitauissem, nuper deprehensus sum à filijs cum hospitibus quibusdam concertans, quos statim Delphis abituros decorum non erat præterire, aut sermonem detrectare illis a-
- 20 liquid omnino audire cupientibus. Cū ergo apud templum confedissemus, & alia ipse inquirere, alia ex istis interrogare cœpissim: ipse locus, ipsaque disputatio eorum memoriam mihi renouauit, quæ quo tempore Nero apud Delphos est peregrinatus, eodem in loco eademque quæstione
- 25 oborta Ammonium disserere audiueramus. Iam primùm omnibus Ammonius rectè videbatur eò dei istius nomina accommodasse, vt non minus philosophum eum quàm vatem esse ostenderet. ac docuisset, Pythium vocari ijs, qui discere incipiunt & percunctantur. Delium autè & Phaneum
- 30 ijs, quibus iam aperitur & elucescit veritatis aliquid: *Apollinis nomina.* Inscientibus: Leschenorium, ijs qui iam vtantur ac fruuntur scientia, ac inter se disputant & philosophantur. Quoniam autem philosophiæ est inquirere, mirari, dubitare: aiebat non abs re pleraque de dijs occultata esse ænigmatis, rationemque aliquam & causæ explicationem desiderare. verbi gratia, cur ad ignem sempiternum de omnibus lignis sola vratur abies, cur sola laurus suffiatur, cur duæ
- 35 sint positæ Parcæ, cū vbique tres censeantur, cur nulli mulieri liceat ad cortinam accedere, quæ tripodis ratio, a q; alia, quæ nõ planè brutis & dementibus submissa, all-
- ciunt

ciunt eos, & ad considerandum, audiendumque & differen-
dū aliquid de ijs incitant. ista quoq; vide vestibulo præscri-
pta, Noris teipsum, ac Ne quid nimis, quantas philosopho-
rum excitauerunt disputationes, quantaque de singulis ser-
monum multitudo tanquam è semine pullulauit. Ego autem
præsentem quæstionem fecunditate nulli istarum ce-
dere existimo. Hæc locuto Ammonio, Lamprias frater me-
us: Atqui, inquit, ratio quam nos adduci audiuimus ea de
re, per breuis est ac simplex. Dicunt enim sapientes istos, qui
à nonnullis sopheristæ appellantur, numero fuisse quinque, 10
Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Post-
quam verò Cleobulus Lindiorum tyrannus, & Perian-
der Corinthius, quamquam virtutis essent sapientieq; expertes,
potentia, amicis, officijsq; vni famæ fecerunt, & se in no-
men sapientū ingesserunt, itidemq; vt quinq; illi sententias 15
quasdam & dicta emisissent ac per Græciam sparserunt: ibi
tum quinq; istos, qui molestè hoc ferret, arrogantiam qui-
dem horum refellendum, aut de gloria palam inimicitias
fuscipiendum, & contendendum cum præpotentibus vi-
ris non censuisse: ipsos autem huc conuenisse, interque se 20
collocutos, literam eam, quæ & in ordine est quinta, & quin-
que numerum designat, dedicauisse, coram deo protesta-
tos se quinque numero esse, ac sextum & septimum vt nihil
ad se pertinentes repudiasse & abdicasse. Quæ non dici abs-
re, cognoscere potest si quis audiat eos quibus templi cura 25
est commissa. Ei enim aureum illi Liuiæ Augustæ nomi-
nant, æreum Atheniensium, ligneum autem, antiquissi-
mum ac primum omnium, hodieq; sapientem appellant,
non ab vno, sed communiter ab omnibus dedicatum. Ad
hæc Ammonius placidè subrisit, suspicatus Lampriam pe- 30
culiari quadam opinione duci, & ne eius ratione cogetur
reddere, fingere historiam ab alijs se audiuisse. Alius autem
quidam de ijs qui vnà aderant, simile aiebat esse hoc nugis
quas proximè Chaldaus hospes protulisset. Septem scilicet
esse vocales litteras, septem in cælo stellas quæ suo proprio 35
& primi cæli motui non alligato ferantur motu. E autem
esse in ordine vocalium secundam ab initio, & Solem à
Luna secundum: omnes autem ferè Græcos vno ore eun-
dem cum Apolline Solem perhibere. Verum isthæc planè
sunt inepta & triuialia. Cæterum Lamprias non sensit se
templi

*Sapientū
præcorum
numerus.*

templi curatores commouisse aduersus suam orationem. Quæ enim ipse dixit, ea nemo Delphorum agnoscit. Sed communem ij & interpretem opinionem in medium produxerunt, contententes neque formam, neque sonum, sed solum nomen litteræ notare aliquid. Est enim, vt Delphi opinantur, & Nicander sacerdos omnium nomine dixit, quasi vehiculum & forma sermonis quo deum compellant homines, syllaba EI, quod Latinè SI dixeris, principemque locum obtinet in interrogationibus: dum consultores identidem quærunt ac scitantur, Si victoria sint potituri, Si ducenda vxor, Si expediat nauigare, Si agriculturam exercere, Si peregrinari. Dialecticis autem valere iussis Apollo sapiens deus, qui ex particula SI & pronunciato ei adiuncto nullam censent confici rem, omnes interrogationes huic subiunctas particulæ pro rebus accipit & admittit. Quoniam autem nobis proprium est interrogare vatem, commune autem inuocare vt deum: existimant litteram illam EI, siue SI, non minus optandi quàm interrogandi significationem habere. Optantes enim dicimus, Si mihi contingeret. & Archilochus,

---- Si mihi

Manum liceret Neobules tangere meæ.

Et in EIΘE posterior syllaba ΤΗΕ locum implet, nihil significat, vt & particula ΘΗΝ. Sed EI optandi vim habet sufficientem. Hæc cum dixisset Nicander. Theo socius notus, notus (opinor) tibi, ex Ammonio quæsiuit, libertasne relicta esset dicendi dialecticæ, tanta affecta iniuria. Et Ammonio dicere, opemque ei ferre iubente: At verò, inquit, artis huius peritissimum esse Apollinem, pleraque oracula ostendunt. est enim eiusdem nimirum soluere & texere ambiguitatem. Iam sicut Plato dicebat oraculo dato, quod aram Delphicam duplam prioris facere iuberet (quod summæ est rerū geometricarum peritiæ opus) non de ara deum fuisse locutum, sed Græcis hoc modo mandauisse, vt geometriæ darent operam: ita sanè ambigua edens oracula Apollo, auget commendatque dialecticam, qua scilicet opus habeant qui ipsum velint intelligere. In dialectica autem maximam vim habet coniunctio SI, eam componens enunciationem, quæ omnium maximè rationi humanæ

con-

congruit. Quid ni enim: cùm etiam bruta rerum substantiæ habeant noticiam: considerationem autè & iudicium consequentiæ soli homini natura dederit. Esse enim diem, esse lucem, sentiunt nimirù & lupi, & canes, & aues. quod autem Si lux est, dies sit, nullum excepto homine animal intelligit. solus enim homo antecedentis & consequētis, & significacionis horum atq; connexionis, mutuiq; respectus & discriminis notionem percipit, ex qua demonstrationũ principium petitur præcipuum. Quoniam autem philosophia versatur circa veritatem, lux veritatis est demonstratio, 10 huius principium est connexa oratio: conuenienter ea particula, quæ vim habet hanc conficiendi & continendi, à sapientibus hominibus ei deo consecrata fuit, qui maximè diligit veritatem. Vates ergo est deus, ars circa futura fatidica ex præsentibus aut præteritis. Nullius enim rei vel sine 15 causa est ortus, vel sine ratione prænotio. sed cùm omnia præsentia præteritis, omnia futura præsentibus connexa sint & alterum ex altero sequatur progressu ab initio ad finem pertendente: is qui causas naturalibus rationibus perspicere & inter se contexere potest, is nouit ac prædicat, 20

Ilia. a. 70.

Quæ sunt, quæ venient post hæc, quæ præterierunt.

Et præclare Homerus primo loco posuit præsentia, deinde futura & præterita. Nam è connexi natura ducitur ratiocinatio: Si hoc est, istud præcessit. & Si hoc est, istud fiet. Artificiofa enim, vt dixi, res est, & ab humana proficiscitur 25 ratione cognitio consequentiæ. assumptionem autem sensus rationi præbet. Itaque etsi turpe videtur, tamen non verebor dicere, tripodem nihil esse aliud quàm rationem veritatis: quæ posita eius quod est ad antecedens consecutione, deinde assumens rem extantem, conclusionem demonstrationis infert. Quid mirum autem, si Apollo, qui Musica delectatur, & olorum cantu, citharæque sono, ob amorem dialecticæ hanc particulam amplectitur & diligit, qua maximè & crebrò vti videt philosophos? Hercules autem, cùm nondum soluisset Prometheus, neque cum Chiro- 35 ne & Atlante sophistis collocutus fuisset, iuuenis etiamnum ac planè Bœotius, dialecticam abolens, & Si prius ac posterius deridens, creditus est vi abstulisse tripodem; & de arte cum deo dimicasse. nam aucta quidem arate, ipse quoque & diuinationis & dialecticæ factus est peritissimus.

Vt

Vt finem dicendi fecit Theo, Eustrophus Atheniensis fuit,
 vt puto, qui ad nos dixit: Viden' quam alacriter Theo dia-
 lecticam tueatur, tantum non leonis indutus exuium?
 ne nos quidem porro, qui omnes in vna summa res, natu-
 ras, principia, diuinarum iuxta humanarumque rerum,
 numeris assignamus, numerumque multo maxime om-
 nium pulchrarum bonarumque rerum facimus principem
 ac dominum, quiescere sciens, sed primitias charæ mathe-
 matices deo offerre. quippe qui statuamus Ei illud neque
 10 virium, neque formæ, neque significationis gratia quicquam
 ab alijs differre litteris: sed iudicemus hoc honore eximio
 ornatum esse, vt notam quinarij, cuius numeri magnus
 est in vniuersam naturam ius. quem nos pemptada, & ab
 eo sapientes pempazein numerate appellant. Hæc ille ad
 15 nos dicebat, non ioco, sed quia tum mathematicibus ego ar-
 denti studio animi incumbebam. fortassis etiam, vt versans
 in Academia, vbi que magni facturus vocem illam, Ne quid
 nimis. Ad hæc itaque ego sic respondi. Equidem dubitatio-
 nem Eustrophus optime numero soluit. Cum enim nume-
 20 rus in parem ac imparem diuidatur, vnitas facultate veri-
 que generi est communis: vt quæ pari addita imparem, im-
 pari adiecta parem conficiat numerum: principium autem
 paris numeri duo, ternio imparis statuitur: Quinaris ex
 his duobus compositis conflatus, merito in honore est, vt-
 25 pote primus ex primis confectus, nominaturque Matrimo-
 nium, ob paris cum femina, imparis cum mare similitudi-
 nem. Quando enim numeri in æquas diuiduntur partes,
 par omnino diuisus, principium quoddam capax in seip-
 so, spaciumque relinquit. impari diuiso, semper medium re-
 30 stat gignendo aptum. itaque & fecundior pari est, mixtus
 que semper præualer, nunquam vincitur. nunquam enim
 par impari mixtus parem, semper imparem producit. immò
 autem vterque secum compositus, discrimen ostendit. nun-
 quam scilicet par pari adiunctus imparem procreat, neque
 35 suam mutare naturam potest, imbecillus & vi alium gignen-
 di destitutus. impares, quia vsquequaque sunt secundi, im-
 paribus iuncti multos generant pares. Reliquas numero-
 rum facultates ac differentias non est hic persequendi lo-
 cus. Proinde quinarium Pythagorei, ob similitudinem con-
 gressus primorum maris & femine Coniugium appellauerunt.

Idem

*Quinarij
 sive Espra-
 stantia.*

Idem etiam natura dicitur, quòd sui multiplicatione in se redit. sicut enim natura triticum loco seminis accipiens, multas alterando eo mutandoq; formas interim inducens, tandem triticū reddit, in fine totius mutationis principium restituens: ita cū reliqui numeri in sese multiplicati, in-
 cremento facto in alios desinant, soli quinarium & senio in se ducti, seipsos referunt & conseruant. Sexies enim sex, xxxvi. sunt: quinquies quinq;, xxv. Verūm senarius semel hoc facit, vnoq; duntaxat modo ex seipso quadratum producit. Sed quinarium præter hunc multiplicationis fructum, sibi ipsi adiectus denarium gignit: idque durat perpetuo. qua in re imitatur hic numerus principium illud, quod Vniuersum temperat. Sicut enim Heracletus ait eo sese conseruante ex seipso mundum, ex mundo se refici, igniq; omnium vicissitudines effici, ex quo omnia fiant & in quem omnia redeant, quo modo ex auro fit pecunia, è pecunia aurum. sic quinarij ea est natura, vt cum quinario congressus nihil imperfectum aut alienum possit procreare: sed aut sese, aut denarium: id est, vel suæ naturæ, vel perfectum numerum. Quod si quis interroget, quid hæc ad Apollinem attineant, respondebimus, non ad hunc modo, sed & ad Bacchum, qui non minori iure quàm Apollo Delphorum sibi partem vindicat. Audimus enim theologos partim carmine, partim libera oratione canentes atque tradentes, deum interitus expertem atq; æternum suapte natura, fatali quadam decreto ac ratione mutationibus sui vrentem, alias in igneam naturā accendi, omniaq; omnibus assimilare: alias in varias se omnisq; generis formas induere, diuersisq; affectionibus & facultatibus obnoxium facere, idq; fieri quod notissimo nomine mundus dicitur. Sapientiores autem istæ hæc vulgus hominum celantes, mutationem in ignem Apollinis, ob negationem multitudinis, & Phœbi ob puritatem nomine afficiunt. Mutationem autem in spiritus, aquam, terram, sidera, stirpes, atq; animalia, eiusque dispositionem, diuisione quadam & in membra distractione per ambages proponunt: ipsum deum Dionysum, Zagream, Nyctelium, & Isodætā appellant. Interitus etiam quosdam, & è medio sublaciones, mortes, rursusq; in vitam reditus, cōsentanea dictis mutationibus ænigmata, agunt, canuntque Baccho dithyrambos, plena motuū animi & mutatio-
 num

num carmina cum vagis erroribus & circumcursatione
coniunctarum. nam, vt Æschylus ait, Promiscui clamoris
dithyrambum conuenit comitari Baccho. Apollini autem
canunt Pæanem, carmenque modestę Camænæ. Atq; hunc
5 semper iuuenem, & senectutis exfortem, illum multiplici
forma, variaque specie pingunt atque fingunt. deniq; Apol-
lini tribuunt æqualitatem, ordinem, sinceritatem que serid
constantem: Baccho admixtos iocos, & petulantiam, & fu-
rorem & inæqualitatem: Euium, in montibus inter mulie-
10 res versantem ac eurrentem Bacchum vrsanis honoribus
inuocentes: non ineptę vtriusq; mutationis naturam con-
templati. Quoniam autem circuitionum in mutationibus
tempus æquale non est, sed longius eius, quam Choron, id
est, satietatem vocant, breuius Chresmosynes, id est indi-
15 gentiæ: proportionem hęc obseruantes, reliquis anni parti-
bus pæne ad sacrificia vtentes, ineunte hyeme dithyram-
bū illo silere iusso excitant, ac per tres mēses Bacchum loco
Apollinis inuoçant, tempus quo in ignē redigantur omnia
triplum alterius esse censentes. Verum hęc ptolixius quàm
20 pro ratione temporis sunt commemorata. Id quidē mani-
festum est, huic rei theologos quinarium accommodasse:
quæ nunc ipsa seipsam gignit, vt ignis, nunc denarium con-
stituit, nimirū mundum. Quid? Musicam, quæ deo illi gra-
tissima est, censetimus quinario carere. Harmonica certē
25 maximē vocum in concentibus (symphonias vocant) occu-
pata est tractandis. at quinq; non plures, neq; pauciores, es-
se symphonias, ratio cōuincet, & refellet eum qui sine ratio-
ne ista sensu in fidibus aut fistularum foraminibus velit exa-
minare. omnes enim proportionē numerorū oriuntur. quæ
30 est diatessaron symphonix sesquitercia, diapente sesquipla,
diapason dupla, diapason cum diapente tripla, dildiapason
quadrupla. quæ enim his addunt harmonici diapason cum
diatessaron, ea recipienda non est, neq; autibus est aliquid
contra rationem, quę legis vice est, gratificandum. Porro vt
35 quinq; dispositiones tetrachordorum omitam, vt taceam
de quinq; primis tonis siue modis siue harmonijs, quæ vo-
cem intendunt ac remittunt, & maiorem minoremve faci-
unt, cum reliquæ grauitate aut acumine cōsiderentur: non
cum multa, adeoq; innumera sint interualla, quinq; tantum
in cantilenis vsurpantur? dielis inquam, semitonium, to-
N nus,

nus, trisemitonium, ditonus? nullum aliud neq; minus neq;
 maius in vocibus interuallū grauitate & acie definitum in
 cantū venit? Multa id genus alia ego præteriens, Platonem
 producam, qui aut vnum mundū esse affirmauit, aut si præ-
 ter eum alij sint, omnino quinq; numero esse mundos, non
 plures. Enimuerd̄ etsi vnicus mundus hic est, quod & Aristo-
 teles sensit: tamen is quodammodo ex quinq; compositus
 est & concinnatus mundus: nimirum mundo terræ, aquæ,
 aeris, ignis, & cœli, quam quintā substantiam ille, alij lucem,
 alij ætherem nominant: cui soli omnium corporū non ne- 10
 cessitate, non accidentis ratione, sed à natura datum est, vt
 circulo roteretur. Ideoq; primas etiā & perfectissimas earum
 quæ in natura sunt figuras Plato animaduertens, pyrami-
 dem, cubum, octaedrum, icosaedrum, & dodecaedrum, sin- 15
 gulas singulis accommodauit mūdīs. Neq; defunt, qui sen-
 lium facultates numero itidem æquales primis illis appli-
 cent corporibus. videntes tactum esse terrestre quippiam &
 resistens, gustatū ob humiditatem sapidorū qualitates per-
 cipere. aer porrd̄ ictus, vox fit & sonus. de reliquis duobus
 odor, quē olfactus arripit, igneæ est naturæ, cum sit exhala- 20
 tio à calore elicita. visus fulgore æther & lux res cognatæ
 contemperantur, sensum quē concordī motu percellunt. A-
 lium neq; sensum animal, neq; mundus simplicem & mix-
 tionis vacuam habet naturam. sed mirabilis quædam, vt ap-
 paret, distributio est facta, quinq; ad quinque ita apratis, vt 25
 cuiq; suus quasi collega destinaretur. Hæc ego inter dicen-
 dum paululum subsistens, intercapedine aliqua facta, En,
 inquam, Eustrophe, quid nobis vsu venerit? parum abfuit
 quin Homerum præteriremus. quasi verò non ille primus
 mundum in quinq; diuiserit partes: quarum tres in medio 30
 sitas tribus assignauit dijs, duas extremas olympum & ter-
 ram, quarū hæc imorum, illa summorum est terminus, eorū
 munus & nō distributas relinquens. Sed, vt est apud Euripi-
 dem, referēda est ad id vnde exijt oratio. Qui quaternarium
 magnificè prædicant, nō ineptè docent, eius ratione omni 35
 corpori ortum suum contingere. Cū enim omnis solidi-
 tas intelligatur esse in longitudine & latitudine crassiciem
 nacta: & ante longitudinem existat punctum vnitatis ra-
 tionem habens: linea autem sit longitudo latitudine ca-
 tens: lineæ autem in latitudinem motus, & superficiei pro-
 creatio

Sensus
 quinq;

Illid. o. 190.

- creatio ternario constet: huius profunditate accedente, soliditas quaternario conficiatur: nemo non videt, quaternarium, postquam naturam vsq; ad corporis perfectionem produxit, tactuq; renitentem molem exhibuit, destituere eam potissimè rei indigam. Nam quod animè est expers, id, vt verbo dicam, orbum est & imperfectum, neq; vllà ad rem animam nou mouente commodum. Motus autè siue affectio animam introducens, mutatione per quinq; fit, naturæq; perfectionem conciliat. vt quinarij ratio tanto sit quàm quaternionis præstantior, quàm maior est animalis quàm anima carentis corporis dignitas. Præterea concinnitas & facultas quinarij plus virium nacta, nõ suuit in infinitum progredi animatorum naturam, sed animalium quinq; definiuit genera: deos scilicet, genios, heroes, homines, bruta.
- 15 Iam si ipsam animam ita vt natura eius fert partiare, prima eius & obscurissima vis est vegetandi, proxima sentiendi, post hanc appetendi, deinde irascendi: in ratiocinandi facultate quinta, tanquam in extremo perfectionem adsecuta substituit natura. Tot tantisq; præditi quinarij facultatibus, ortus quoq; elegans est. non is quem supra commemorauimus, vbi è binatio & ternario constari eum docuimus: sed quod nascitur principio cum quadrato primo coeunte. omnis enim numeri primordium est vnitas: quaternarius quadratorum primus. Ex his, tanquam forma & materia
- 25 finita, quinaris componitur. Quod si rectè nonnulli vnitatem quoque quadratum censent, quæ ex sese ipsa propagatur: quinaris coitu duorum primorum quadratorum natus, non potuit nobiliori ab origine existere. Quod autem maximum est, id vereor ne si dicam, ita premat Platonem, sicut ipsæ Lunæ causa pressum fuisse Anaxagorâ perhibet, quod admodum vetustâ de eius illuminatione rationem pro sua vsurpasset. Nõnne enim in Cratylò ita scriptum reliquit Plato? Omnino, inquit Eustrophus, sed quid simile eueniat, nõ cerno. Atqui, in quâ, nostri eundè in Sophista quinq;
- 35 potissima demonstrare principia, Ens, Idem, Diuersum, Motu, Statum. Et in Philebo alia instituta diuisione, Vnũ ait esse Infinitu, alteru Extremum, his mixtis omnè existere Ortum. quartu ponit Causam eius mixtionis: & quintu nobis cogitandum reliquit, Causam secretionis & dissipationis mixtorum. Existimo autem hæc illorũ quasi imagines proponi,

*Animalia
genera.*

*Platonica
principia.*

poni, Entis id quod sit, Motionis infinitum, Status extremum, Eiusdem miscendi, Diuersi-secernendi principium. Quod si diuersi sunt, & illo & isto modo quinque erunt principiorum genera ac differentiarum. Hæc aliquis ante ætatem Platonis cum comperisset, Ei Apollini eam ob rem consecrauit, notam atque indicium numeri vniuersorum. Enimvero bonum quoque perspicuus in quinque tributum genera, quorum primum est Medioere, secundum Proportione mensuræ concinnum, tertium Mens, quartum in animo Scientiæ, * artes, veræque opiniones, quintum Voluptates puræ & à dolore secretæ: ibi dicit Orphicum illud subiiciens:

Ætate in sexta studium finite canendi.

His ita dictis inter nos, breuiter ex Nicandro aliquid quarum, ac

Cantabo gnaris.

Sexta noui mensis die, cum Pythiam in prytaneum introducit, prima vobis de tribus sortibus ducitur quinario, neque binario iacto, neque ternatio, aut inter se comparatis. * Nonne ita est? Tum Nicander, ita est, inquit: sed causam alijs cæsi nefas est. Ergo, aiebam ego, interim dum nobis 20 consecratis deus veritate cognoscendam præbebit, id quoque adiectum sit his, quæ de quinario sunt dicta. Hic fuit, quantum ego memini, finis arithmeticarum & mathematicarum notæ Et laudationum. Ceterum Ammonius, qui & ipse nequaquam contemnendam mathematicæ philosophiæ operam impendisset, delectatus ea disputatione, dixit: Non equidem conuenit isthæc ab adolescentibus nimis studiose refelli, id tamen dissimulandum non censeo, vnum quemuis numerum facile laudare volentibus materiam sui laudandi præbiturum. Et quid attinet alios commemorare? Ipse Apollini 30 sacer septenarius diem antè consumer, quam dicendo vires eius vniuersæ possint explicari. Decet verò nos pronunciare, sapientes viros bellum communi legi indixisse ac vetustati temporis, & septenario de principe sede exturbato, quinarium deo tanquam magis illo congruentem dedicasse? Er- 35 go neque numerum, neque ordinem, neque copulam, neque aliam deficientem partem existimo littera EI significari. sed est ex sese perfecta compellatio dei, simul cum verbo enunciantis animo obijciens vim dei. Deus enim vnum quemque nostrum huc accedentem veluti salutans compellat, Nosce te ipsum inquitens:

inquiens: quod nihilo est quàm Salue deterius. Nos vicissim respondentes deo, EI, id est Es, dicimus: veram, certam, solamque soli conuenientem ei appellationem, qua esse dicitur, tribuentes. Re vera enim essentia nos nequaquam sumus participes, sed vniuersa mortalis natura in medio ortus & interitus versans, speciem opinionemq; obscuram & instabilem sui præbet. quòd si animum intendas, vt intellectum comprehendere possis: quemadmodum aquam si complectaris vehementius, fit vt comprimendo ea & in se còducendo diffuat ac pereat: sic vniuscuiusvis perpulsionibus & mutationibus obnoxia rei nimis euidentem perceptionem sectatur ratio, aberrat vel ad ortum eius, vel ad interitum, nihil arripere quod permaneat aut sit reuera cum possit. Heracliti est, non posse quenquam bis in eundem fluuium descendere. Substantiam quoq; caducam bis eodem in statu nemo attinget: sed celeritas mutationum eam dissipat mox, statim colligit rursus. Immo non iterum, non postmodò tangere licet, sed simul & existit & interit, simul accedit atq; recedit. Hinc est, vt quod fit, eò vsq; non perdurat, vt verè dici possit esse, ortu nimirum nusquam desistente, nusquam insistente. Statim iam inde à semine continentibus mutationibus ferus fit, infans, puer, adolescens, iuuenis, vir, senex, sicut enim: semper posteriore priores abolente ortus. Sed nos ridiculi sumus, qui vnā metumus mortem, toties iam mortui, toties morientes. Non enim tantum, vt Heracletus dicebat, Ignis mors aeri est ortus. & aeris mors aquæ ortus. sed multo hoc euidentius in ipsis hominibus animaduertas. Interit vir factò sene: at vir factus erat intereunte iuvene, hic puero, hic infante. & qui heni fuit, mortuus est orto hodierno, hodiernus in crastinum definit. nullus autem manet, neque est vnus, sed nascimur multi, materia circè vnum simulacrum & exemplar quoddam expressum circummagitata atq; labascente. Etenim si ijdem perdareremus, quomodo nūc alijs gauderemus rebus 35 gauisi antè diuersis? contraria diligeremus, odio haberemus, mirareremus, vituperareremus: abter loqueremur, afficeremur, nō formam, non figuram, non sensum pristinum retinentes? Nam neq; absq; mutatione probabile est istam diuersitatē oriri, & qui mutatur, idem non est. Si idem nō est, ne est quidem: sed alius ex alio mutationibus factus. Sensus

Verū Ens.

autem ob ignorationem eius quod est, fallit nos vt esse putemur quod esse videtur. Quid ergo re vera est, quod sit: id quod sempiternum est ortus & interitus exors, cui nullus à tempore motus infertur. Mobile enim quiddam & quod cum mobili imaginatio concipiat materie, semper fluens, & non solidum aliquid, sed veluti vas ortuum & interituum est tempus: cuius ipsæ appellationes hæ, Prius, Posterius, Erit, Fuit, fatentur ipsum non esse. facias enim fatuè ac absurdè, id quod nunquam dici potuit esse, aut quod iam esse desijt, si esse dicas. Id autè, in quo maximè inuicimur intel-

Tempus.

recturi tempus, nimirum quando instans, Præsens, Nunc dicimus: id rursus elanguescens ratio prodit. eliditur enim dissipaturq; in futurum & præteritum. id quæ nobis hic vsu venit, quod ijs qui rem nimis procul disitam videre volût, prius elanguescentibus radijs quàm eò pertingant. Quod si idem accidit nature quam tempore metimur, quod mensuræ eius: ipsa quoq; nihil est permanens, nihil ens, sed omnia sunt fientia & intereuntia, iuxta eorum cum tempore cõparationem. Itaq; de eo quod est, nõ licet dicere fuisse id aut fore: quæ verba inclinationè significant atq; discessum & mutationem, quæ locum in eo quod est non habet. Deus autem, si ita dicendū sit, Εστ, & est nulla ratione temporis, sed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis: in qua nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritum. nihil antiquius, nihil recētius, sed vna cum sit, vnico Nunc sempiternam implet durationem: & huius ratione quod esse dicitur, vere est, non futurum, non præteritum, neq; orsum, neq; desitutum. Sic itaq; deus nobis est venerationis studio salutandus atq; compellendus. Nisi maior veterum quorundam formulam ΕΙ ΗΕΝ, vnum es. Non enim multa sunt numina, sed vnum: non vt vnusquisq; nostrum congeries ex infinitis diuersissimisque affectionibus variè commixta, quo modo ex omnis generis hominibus solennes conuentus cõstantur. Sed vnū oportet esse id quod est: & esse, id quod vnū dicitur. nam diuersitas cum differentia entis ponitur, iam ad procreandum id quod non sit ens vergit. Proinde deo huic rectè & primum, & secundum, & tertium nomen est inditum. Apollo enim dicitur, quod vnicus sit: voce multitudinis negationem arguente. Icius autem, vt vnicus & solus. Phœbus, quia hoc vocabulo antiqui omnia

omnia casta & pura designauerunt: sicut (ni fallor) Theslali
 hodieq; sacerdotes nefalis diebus priuatim & extra templa
 degentes phœbonomeisthæ, id est lustrari, dicūt. Vnum au-
 tem quod est, sincerū est & mixtionis purum. alterius quip-
 pe cum altero mixtione res contaminantur. quo pacto Ho-
 merus inquinari ait puniceo colore ebur tinctū. & infecto. *Iliad. d.*
 res colorum mixtos corrumpi, mixtionē corrupelam no-
 minant. Ergo vnum esse, neq; cū alio contemperari, semper
 competit in naturam interitus expertem ac puram. Qui ve-
 10 rō Solem cū Apolline eundem faciunt, eorum par est ex-
 osculari atque amplecti ingenij bonitatem: qui quod ma-
 ximè omnium quæ habent cognita venerantur atq; deside-
 rant, ei noticiam ac indicium dei huius adsignant. In præ-
 sentia autem deum quasi in pulcerrimo omnium somnio-
 15 rum somnio imaginantes, excitemus animos nostros, hor-
 temurq; vt altiùs se efferant, & dei substantiam sublimiorem
 naturalibus contemplantur. neque tamen non hanc eius
 imaginem colamus, & veneremur, quæ (quantum omnino
 res sensilis de ea quam sola mens cernit, & caduca de peren-
 20 ni præstare potest) fecunda est, indicia nobis quædam & si-
 mulacra effulgentiã vt cunq; suggerendo, bonitatem & fe-
 licitatem numinis istius repræsentantia. Illas verò Apollinis
 è sua natura egressiones, ac mutationes, quibus ignis fiat,
 rursumque seipsum dissipet, & in maria, ventos, aut anima-
 25 lia, vel stirpes transformetur, aliasq; id genus diras per-
 pessiones, ne audire quidem pium est. nisi eum puero illo
 à poeta descripto facimus deteriorem: & quod ille ludicrū
 in fabulo, id componens ac diffingens identidem, sibi ani-
 mi causa fingit, hoc deum vt in Vniuerso semper statuimus,
 30 dum aliàs mundum format qui non erat, aliàs conditum
 perdit. Immò contrà quantum eius mundo vt cunq; inna-
 tum est, id substantiam mundi constringit, corporeamque
 imbecillitatem ad interitum propensam coerctet. Ac mihi
 quidem maximè oppositū isti opinioni videtur dei nomen
 35 vt Ei appellemus eum, testantes nunquam illum suo de sta-
 tu exire, nulla mutatione affici. Hoc enim magis cōuenie-
 bat tribuere alij cuidã deo, aut potius genio præfecto natu-
 ræ quæ ortib. & interitibus variatur. quod statim ex nomi-
 nibus liquet, contrarijs atq; significantibus rem aduersam.
 Nam Apollo noster, alter Pluto à multitudine: ille Delius,

hic Aidoneus ab obscuritate & cæcitate nominatur: ille Phœbus, hic Scotius, quod est tenebrosus. apud illū Musæ versantur, & quam Latini Memoriam dicunt Mnemofyne: apud hunc Leche, seu obliuio, & Silentium. ille a contemp-
plando Theorius & Phanæus vsurpatur: hic

Obscura noctis segnis princepsq; soporis.

** atq; hic quidem omnium est deorum inuisissimus. in illum nō ineleganter Pindarus dixit, damnatum esse eo nomine, quod maximè omnium deorum sterilis & infecundus sit. Rectè itaque Eutipides dixit:

Libationes, atq; cantus

Vitæ soluis: auricomus quas

Non admittit Apollo.

Priorq; eo Stesichorus:

Cantus atq; iocos præ reliquis amat

Apollo rebus: sed gemitus graues

Luctusq; Diis fore cedunt.

Sophocles sua etiam vtrique instrumenta perspicuè denotat his verbis:

Non naba sunt amica, nec lyra luctibus.

* Nam idem ille nuper admodum ausus est vocem* emittere: cum priore tempore ad luctum vocaret homines, & non valdè honoratam aut splendidam obiret istarum rerum actionem. postea omnino sunt commixta, magnæque perturbationes hominibus inde obortæ, quod res deorum cum

* rebus geniorum permiscuerunt. At enim notæ E I dictum Nosce teipsum videtur quodammodo repugnare, alio consonare. Hoc enim pronunciatum est vt nos percellat, & ad venerationem numinis, vtpote quod sit semper, exci-

tet. illa nos mortales esse docet, naturæque

& imbecillitatis nostræ ad-

monet.

MORALIVM TOMI I. FINIS.

IN